



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 7. Pretiosa Blesillæ, & S. Ioannis Eleemosynarij, pauperumq[ue] mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

ut qui vitam possideat spiritalem. Carnalis verò caligat, & tremit, ut qui carnalē vitam habeat.

Qui sunt viri boni, promptoq; & alacri animi studio, talem mortem persequuntur, ut ex ea vitam aeternam possideant. Qui sunt autem ignaui & pigri, ij, eā visā, se abscondunt. Qui Deum diligunt, ad Deum excesserunt. Qui verò mundum, manent in mundo. Illi quidem resoluti ad letitiam, & exultationem, hi autem ad afflictiones, & suspiria. His verbis S. Sadoth se, & centum viginti octo de clero, ita accendit, ut omnes, sub Sapore, lætantes, & cantantes, & Deo gratias agentes, catenati ad mortem currebant. Nam ferro, non affectu alligati, à paupertate sua, ad cælestes diuitias, liberè, sponteque properauerunt.

§. VII.

Pretiosa Blefilla & S. Ioannis Eleemosynarij, pauperumq; mors.

De Blefillæ viginti annorum viduæ morte ita matrem Paulam consolatur D. Hieronymus. *Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat, in cuius pœna aeternus ignis aestuat. Nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obuiam Christus occurrit: grauemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus.*

Quia

D. Hieron. in vita S. Blefillæ viduæ,

2. Cor. 5.

Quia quàm diu hic moramur, peregrinamur

Psal. 119.

Domino. Illa, illa nos cupido teneat: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est à me, habitanti cum habitantibus Cedar; multum peregrinata est anima mea. Si Cedar tenebrae sunt, & mundus iste sunt tenebrae, quia lux lucet in

Ioan. 1.

tenebris, & tenebrae eam non comprehendunt: fateam Blesilla nostrae, quae de tenebris migravit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem, consummati operis percepit coronam. Reuera si saeculare desiderium; & quod Deus suis auertat, delicias vitae huius cogitantem, mors immatura rapuisset, plangenda erat, & omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc vero, cum propitio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo se baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo, semper monasterium (& in eo voluntariam paupertatem) cogitaret, non vereris, ne tibi Saluator dicat: Irasceris, Paula, quia tua filia, mea facta est filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriam possidenti? Scis enim quid de te; quid de ceteris tuis cogitem? Huc vsque Hieronymus, qui mortem Sanctorum vsque adeo felicem ac pretiosam esse iudicauit, ut ne mater quidem filiae obitum debeat deplorare. Ioannes Patriarcha

triarcha Alexandrinus, qui pauperes Do-
 mimos suos appellabat, morte instante, mi-
 rificè lætabatur, dum gratias Deo ageret,
 quòd morienti sibi nihil superesset, præter
 unum nummum, quem statim indigenti da-
 ri iussit. Annum quippe illi patriarchatûs
 vectigal, annuæ in egenos eleemosynæ
 erant, nihil sibi reseruant, præter Chri-
 stum. Neq; enim quicquam aliud suum esse
 dicebat, asserens, idè sacerdotibus neque
 possessionem, neque partem, neque hæredi-
 tatem inter reliquas tribus datam, quoniam
 pars & hæreditas, & possessio eorum est
 Dominus. In summa, teste Ioanne Clima-
 co, *Probatu* ille est, qui mortem diebus sin-
 gulis expectat; sed ille sanè sanctus, qui hanc
 horis singulis desiderat; quod faciunt pauperes
 spiritu, quia aliquid lætius sperant, post
 mortem, secuturum. *Neq; enim, auara an-*
gustaq; Christianorû religio est, inquit S. Fran-
 ciscus Xauerius, *similiter ut Bonziorum: non*
excludit celo pauperes, non mulieres, si modo
Christiane pieq; vixerint; quibus tamen Bon-
ziorum siue auaritia, siue superstitio, cali-
ter interclusit.

Ioanni
 Diac. in
 vit. S.
 Gregor.
 Magn.
 lib. 2.

Ioan. Clima-
 co. in
 scala ca-
 li, grad.
 61.

Horat.
 Turbell.
 lib. 4. c. 5.
 de vita S.
 Francisc.
 Xauerij.

Q

CAPVT